



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus O. vtrum secundum hanc scientiam Christus cognouerit omnia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

principium ad cognoscendum seipsum, & alia lumina sibi similia, per seipsum seu per propriam speciem; ergo est etiam sufficiens principium ad cognoscendam gratiam sanctificantem perfecte, & quidditatiue, atque adeo ad cognoscendas omnes qualitates supernaturales, ut sunt charitas, dona supernaturalia, & similia, quæ eiusdem ordinis sunt, & ad gratiam, sicut potentia ad formam principalem, comparatur; unde idem lumen, sufficiens est ad hæc omnia cognoscenda. Antecedens, assumptum de ipso lumine gloriæ, videtur sane per se clarum, quia nullum intellectuale lumen videtur esse ita accommodatum ad habendam perfectam scientiam in proprio genere, sicut est ipsum lumen gloriæ, quia nullum inferius videtur esse posse ita sufficiens, cum non sit tam perfectum: perfectius autem lumen, vel omnino esse non potest, vel sine causa requiratur ad tale lumen cognoscendum, cum lumen intellectus angelici natura sua sufficiens sit ad cognoscendum seipsum, & sibi similia. Et in vniuersum, omne lumen intellectuale clarum & euidens, est sufficiens principium seipsum manifestandi, consequentia vero, quod ad gratiam sanctificantem attinet, facilius etiam videtur: tum, quia gratia & lumen sunt res eiusdem ordinis, unde eandem videntur habere rationem obiecti scibilibis: tum etiam, quia in angelo idem naturale lumen est sufficiens principium, non tantum seipsum cognoscendi, sed etiam substantiam ipsius angeli, cuius est proprietas: sed hoc lumen gloriæ etiam comparatur ad gratiam, præsertim consummatam, sicut proprietas ad naturam, cum qua habet proportionem: ergo erit principium sufficiens cognoscendi illam, & eadem ratio probat de aliis qualitatibus, & virtutibus supernaturalibus, cum neque illæ perfectiores sint, neque ad illas cognoscendas maior virtus requiratur: Et confirmari potest hic discursus, quia virtus, quæ potens est per se primo versari circa aliquod obiectum, quod est tale per essentiam, potest etiam attingere participationes illius obiecti ad eundem ordinem pertinentes: ut potentia, quæ est principium videndi lumen, est etiam sufficiens ad videndos colores: & charitas, quæ amat Deum propter bonitatem increatam, est sufficiens principium amandi seipsam, & sibi similes, & proximum, propter supernaturalem creatam sanctitatem. Confirmatur secundo hæc sententia, exemplo intellectus angelici, cuius lumen vnum est, quod respicit propriam essentiam ipsius angeli, à qua manat, tanquam obiectum maxime proprium & proportionatum, quod semper actu naturaliter intuetur, & nihilominus simul extenditur ad res alias per proprias species cognoscendas: sic igitur lumen gloriæ, quamuis essentiam diuinam respiciat, ut obiectum maxime proprium & connaturale, & ita actu quasi connaturali perpetuo circa ipsam versetur: poterit tamen versari circa res alias per proprias earum species altiori & excellentiori modo, quam omne aliud lumen: intellectuale quippe lumen, quo excellentius est, eo habet obiectum vniuersalius. Neque oportet in omnibus seruari similitudinem inter hoc lumen creatum, & lumen increatum Dei: hoc enim, quia est purissimus actus, non tantum est lumen, sed etiam visio, & obiectum ipsum intelligibile. Unde nullo principio à se distincto uti potest ad intelligendum: lumen vero gloriæ hoc ipso, quod creatum est, habet admixtam potentiam, & potest uti principio, seu specie, à se distincta, sicut etiam efficit actum distinctum à se, & ideo mirum non est, quod uti possit speciebus ad cognoscendas res, non tantum in Deo, sed etiam in proprio genere. Et hæc sententia videtur mihi probabilis, & verisimilis propter discursum factum, & quia in contrarium nec auctoritas aliqua occurrat, neque ratio, quæ magnam ingerat difficultatem. Nihilominus tamen, quia res noua est, nolo eam definire, sed difficultatem eius infu-

*Differentia
inter lumen
gloriæ creatum
& increatum
Dei.*

nuisse sufficiat. Adquam, defendendo sententiam communem, dicendum est, lumen gloriæ habere pro obiecto adæquato essentiam increatam, & nullam rem creatam directe attingere in seipsa, sed tantum in Verbo, ac denique hos duos modos cognoscendi creaturas in Verbo, & in seipsis, tam esse distinctos, ut non possint eidem lumini conuenire, quod etiam per se satis probabile apparet.

QVÆSTIO XII.

De scientia animæ Christi acquisita, in quatuor articulos diuisa.



Inde considerandum est de scientia animæ Christi acquisita, vel experimentalis. Et circa hoc queruntur quatuor. Primo, utrum secundum hanc scientiam Christus cognouerit omnia.

Secundo, utrum in hac scientia profecerit.

Tertio, utrum aliquid ab homine didicerit.

Quarto, utrum acceperit aliquid ab angelis.

ARTICVLVS I.

Utrum secundum hanc scientiam Christus cognouerit omnia.



Primum sic proceditur. Videtur, quod secundum hanc scientiam Christus non omnia cognouerit. Huiusmodi enim scientia per experientiam acquiritur. Sed Christus non omnia expertus est. Non igitur omnia secundum hanc scientiam sciuit.

2. Præterea, homo scientiam per sensum acquirit. Sed non omnia sensibilia sensibus corporalibus Christi fuerunt subiecta. Non igitur secundum hanc scientiam omnia cognouit Christus.

3. Præterea, quantitas scientia attenditur secundum sensibilia. Si igitur secundum hanc scientiam Christus omnia sciuit, esset in eo scientia acquisita, equalis scientie infusa, & scientie beate, quod est inconueniens: Non ergo secundum hanc scientiam Christus omnia sciuit.

Sed contra est, quod nihil imperfectum fuit in Christo, quantum ad animam. Fuisse autem imperfecta hæc eius scientia, si secundum eam non sciuit omnia, quia imperfectum est, cui potest fieri additio. Ergo secundum hanc scientiam Christus omnia sciuit.

Respondeo dicendum, quod scientia acquisita ponitur in anima Christi (ut supra dictum est) propter convenientiam intellectus agentis, ne eius actio sit otiosa, quæ facit intelligibilia in actu: sicut & scientia indita, vel infusa ponitur in anima Christi ad perfectionem intellectus possibilis. Sicut autem intellectus possibilis est, quo est omnia fieri, ita intellectus agens est, quo omnia est facere, ut dicitur in tertio de Anima. Et ideo, sicut per scientiam inditam sciuit anima Christi omnia illa, ad quæ intellectus possibilis est quocumque modo in potentia, ita per scientiam acquisitam sciuit omnia illa, quæ possunt fieri per actionem intellectus agentis.

Ad primum ergo dicendum, quod scientia rerum acquiritur potest, non solum per experientiam ipsarum, sed etiam per experientiam quarundam aliarum rerum, cum ex virtute luminis intellectus agentis possit homo procedere ad intelligendum effectus per causas, & causas per effectus, & similia per similia, & contraria per contraria. Sic igitur, licet Christus non fuerit omnia expertus, ex his tamen, quæ expertus est, multum deuenit notitiam.

Ad secundum dicendum, quod licet sensibus corporalibus Christi non fuerint subiecta omnia sensibilia, fuerunt tamen

amen sensibus eius subiecta aliqua sensibilia, ex quibus, A
propter excellentissimam vim rationis eius, potuit in aliorum
notitiam devenire, per modum predictum: sicut videndo
corpora celestia, potuit comprehendere eorum virtutes & ef-
fectus, quos habent in istis inferioribus, qui eius sensibus non
subiacebant. Et eadem ratione ex quibuscunque aliis, in alio-
rum notitiam devenire potuit.

Ad tertium dicendum, quod secundum istam scientiam
anima Christi non simpliciter cognovit omnia, sed illa omnia,
que per lumen intellectus agentis homini sunt cognoscibilia.
Vnde per hanc scientiam non cognovit essentias substantia-
rum separatarum, nec etiam singularia præterita, præsentia,
& futura, quæ tamen cognovit per scientiam inditam, ut su-
pra dictum est.

COMMENTARIUS.

In hoc articulo explicat Divus Thomas materiale
obiectum huius scientiæ, & supponit sententiam,
quam supra docuit, nimirum, Christum non habu-
isse hanc scientiam à Deo infusam, sed propria indu-
stria & exercitatione, seu actione intellectus agentis
comparatam. Vnde concludit, cognovisse Christum
per hanc scientiam omnia, quæ per actionem intel-
lectus agentis ab homine fieri possunt, non vero
substantias separatas, nec singularia præterita, præ-
sentia aut futura, ut dicit in solutione ad 3. Contra
quam doctrinam obiicit D. Thomas argumenta
non facilia. Sed quæ in solutione eorum dicit, & to-
ta hæc sententia indiget prolixiori examine, ut vi-
debimus disputatione sequenti.

ARTICVLVS II.

Virum Christum in hac scientia profecit.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod se-
cundum hanc scientiam Christus non profecit. Sicut enim secundum scientiam beati-
tudinis, & secundum scientiam infusam,
Christus cognovit omnia, ita & secundum
hanc scientiam acquisitam, ut ex dictis patet. Sed secun-
dum illas scientias non profecit: ergo nec secundum istam.

2. Præterea, Proficere, est imperfecti, quia perfectum ad-
ditionem non recipit. Sed in Christo non est ponere scientiam
imperfectam. Ergo secundum hanc scientiam Christus non
profecit.

3. Præterea, Damascen. * dicit, Qui proficere dicunt
Christum sapientia & gratia, ut additamentum sensus si-
scipientem, non venerantur unionem, quæ est secundum hy-
postasim. Sed impium est, illam unionem non venerari. Ergo
impium non est dicere, quod scientia eius acceperit addita-
mentum.

Sed contra est quod dicitur Luca 2. quod Iesus proficiebat sa-
pientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Et Am-
brosius * dicit, quod proficiebat secundum sapientiam huma-
nam. Humana autem sapientia est, quæ humano modo ac-
quiritur, scilicet, per lumen intellectus agentis. Ergo Christus
secundum hanc scientiam profecit.

Respondeo dicendum, quod duplex est profectus scientiæ.
Vnus quidem secundum essentiam: prout scilicet, ipse habi-
tus scientiæ augetur. Alius autem secundum effectum, puta si
aliquis secundum eundem & equalem scientiæ habitum,
primo minor alius demonstrat, & postea maiora & subtilio-
ra. Hoc autem secundo modo manifestum est, quod Christus
in scientia, & gratia profecit, sicut & in ætate: quia, sci-
licet, secundum augmentum ætatis opera maiora faciebat,
quæ, scilicet, maiorem scientiam & gratiam demonstrabant.
Sed quantum ad ipsum habitum scientiæ, manifestandum
est, quod habitus scientiæ infusa in eo non est augmentatus,

cum à principio plenarie fuerit sibi omnium scientia infusa:
& multo minus scientia beata in eo augeri potuit. De scien-
tia enim diuina, quod non possit augeri, supra in prima
parte dictum est. Si igitur præter habitum scientiæ infusum, 1. p. q. 14. art. 1.
non sit in anima Christi aliquis habitus scientiæ acquisita
(ut quibusdam videtur, * & mihi aliquando visum est) 3. Sentent.
nulla scientia in Christo augmentata fuit secundum essentiam, d. 14. q. 3. art. 3.
sed solum per experientiam, id est, conuersionem specierum
intelligibilium inditarum ad phantasmatum. Et secundum
hoc dicunt, quod scientia Christi profecit secundum expe-
rientiam, conuertendo scilicet, species intelligibiles inditas ad
ea, quæ de nouo per sensum accipit. Sed quia inconueniens vide-
tur, quod aliqua naturalis actio intelligibilis, Christo deesset,
cum extrahere species intelligibiles à phantasmatibus, sit
quodam naturalis actio hominis secundum intellectum a-
gentem, conueniens videtur, hanc etiam actionem in Christo
ponere. Et ex hoc sequitur, quod in anima Christi aliquis
habitus scientiæ fuerit, qui per huiusmodi abstractionem
specierum potuerit augmentari, ex hoc scilicet, quod intel-
lectus agens post primas species intelligibiles abstractas à phan-
tasmatibus poterat etiam alias & alias abstrahere.

Ad primum ergo dicendum, quod tam scientia infusa ani-
me Christi, quam scientia beata, fuit effectus agentis infinitæ
virtutis, qui potest simul totum operari: & ita in neutra scien-
tia Christus profecit, sed à principio eam perfectam habuit.
Sed scientia acquisita causatur ab intellectu agente, qui non
simul totum operatur, sed successiue. Et ideo secundum hanc
scientiam Christus non à principio sciuit omnia, sed paula-
tim, & post aliquod tempus, scilicet, in perfecta ætate. Quod
patet ex hoc, quod Euangelista simul dicit, eum profecisse sci-
entiam, & ætate.

Ad secundum dicendum, quod hæc etiam scientia in Chri-
sto semper fuit perfecta secundum tempus, licet non semper
fuerit perfecta simpliciter & secundum naturam. Et ideo po-
tuit habere augmentum.

Ad tertium dicendum, quod verbum Damascen. * in-
telligitur, quantum ad illos, qui dicunt simpliciter fuisse sa-
pientiam additionem scientiæ Christi, scilicet, secundum quam-
cunque eius scientiam, & præcipue secundum infusam, quæ
causatur in anima Christi ex unione ad Verbum. Non autem
intelligitur de augmento scientiæ, quæ ex naturalis agentis
causatur.

COMMENTARIUS.

Quoniam in articulo præcedenti docuit D. Tho-
mas aliquo modo cognovisse Christum omnia per
hanc scientiam, in hoc explicat, quo tempore ætatis
sux hæc omnia sciuerit. Et docet, non à principio
conceptionis, sed paulatim hanc vniuersalem scien-
tiam acquisiuisse, quia intellectus agens, cuius actio-
ne ad comparandam hanc scientiam usus est, non si-
mul omnia, sed paulatim in temporis successione o-
peratur. Quod si interrogas, quando incepit Chri-
stus hanc scientiam acquirere, & quo tempore ad
ultimam eius perfectionem peruenit. Respondet
Divus Thom. in solutio. ad 1. & 2. in singulis etatibus
habuisse Christum hanc scientiam cum tota perfe-
ctione vnicuique ætati accommodata, vnde cum
primum cepit uti ratione, modo connaturali ho-
mini statim videtur incepisse, hanc scientiam acqui-
rere (iuxta hunc dicendi modum) postmodum ve-
ro intra breue tempus illam consummatuit, quam
cito potuit ingenio, & industria humana fieri, & iux-
ta hunc sensum intelligendum censeo, quod Di-
uus Thomas dixit in perfecta ætate habuisse
Christum hanc scientiam consum-

matam.

ARTI.